

W E S T P H A L I A.

glandiferis sylvis , iisque non incultis abundat. versus Rhenum & montes Hassia , etiam ferri, cupri, plumbi & aliorum metallorum , ad Corbachium etiam auri venas non incelebres habuit. Et terræ bonitatem omniumque rerum ad victum pertinentium copiam, frequentia hominum eam incolentium, & oppida plurima, ac urbes amplæ & populosæ , Monasterium , Osnabrugga, Susatum, Minda, Tremonia, Hervordia, Paderborna, Lippia, Lemgovia, Wesalia, & ceteræ , recta descriptione & splendore ædificiorum, & civium multitudine ac humanitate , paucis in Germania cedentes , ostendunt. Ne Palæstina quidem, quam Deus terram melle & lacte fluentem nominat , omnibus in locis pari fertilitate fuit. Multò feracior vini, olei, balsami, frugum, & aliorum terra nascentium fuit Galilæa & Peroa, quam Iudæa : præsertim ea parte , qua montes Arabicos spectat, in qua panibus hordaceis vesci vulgus & aquam bibere solebat. Quare nec Westphalia vitio verti potest , quod , cum regio amplissima sit , & latissimè pateat, alicubi amoenior ac foecundior , alicubi incultior & horridior sit.

*Gensis elo-
gium, indo-
les.*

Gens Westphalica, constantia & gravitatis amans ut difficulter initio ab avita religione abduci, & ad Christi agnitionem converti potuit ; ita deinceps semel datam Christo fidem, non solum constantissime servavit, verum etiam latè in reliquam Saxoniam, Daniam, Sueciam, Vandaliæ & alias regiones propagavit. Præcipuum Nobilitatis Westphalicæ fuisse virtutem in ea militia, qua Ioannes Megapolitanus , ob pietatem & sacrarum literarum scientiam Theologus dictus , amplissimam gentem Livonicam

Christo adjunxit, inde perspicuum est, quod ante annos paucos adhuc , amplissima Livoniæ pars, Westphalorum nobilium imperio parebat.

Ingenia Westphalorum ad litteras , disciplinam, virtutem, doctrinas & alias honestas artes idonea esse, demonstrant tot tantique viri virtute & doctrina excellentes, ecclesiæ & rerum publicarum gubernatores, quos innumerabiles natione Westphalica orbi dedit.

Carolus Magnus, cum Westphalos videret libertatis amantes, jugum Imperii ægre ferentes, & nihil non molientes, ut, excussa Episcoporum & Regum Romanorum dominatione , pristinum libertatis decus reciperent , viros aliquot honestos, sapientes, & industrios secretò delegit, eosque hac potentia armavit , ut quoscunque certò cognoscerent seditionis cupidos & authores esse, sine longiore disputatione statim multarent. Quæ judicia, et si, ad reprimendos turbulentorum hominum seditiosos conatus, sapienti deliberatione instituta fuerant, cum multa tamen injusta per eadem fierent , per totam Westphaliæ jampridem obsoleverunt; & quamvis Scabini illi etiamnum in nonnullis perpaucis tamen oppidis supersint, judicia tamen nulla clam , sed omnia palam citatis & auditis denunciatis, peragi solent. Et magistratus oppidorum ubique judicia tam civilia quam criminalia exerceat, nec Scabinis de cuiusquam sanguine, nisi ordine judiciali, cognoscere licet. Ita ut forma gubernationis politicæ honesta, & in civitatibus, judicia, legibus & jure, non minus quam in reliqua Germania, æquissima constituta sint.

*Indicia &
leges.*

